

A. N. 129, 37<sup>a</sup>.

X 2005203

I. N. J.

Ya  
4721

RENOVATIO  
ET EXTENSIO LE-  
CTIONUM ET LEGUM  
SCHOLASTICARUM ILLU-  
STRIS, QVOD ISLEBII EST, GYMNA-  
SII MANSFELDENSIS,  
ANNO MDCC LXXVI

Jussu

Illustrissimorum ac Ge-  
nerosissimorum Comitum & Domino-  
rum in Mansfeld &c. Comitum & Dominorum  
nostrorum Gratosissimorum,

suscepta, &

Sacro Comitatus Synedrio edita  
ac solenniter promulgata.

•(o)•

ISLEBII  
Imprimebat Andreas Rom.

C. Pagen



AUGUSTUS BUCHNERUS

Disfert. Acad. XXX. Vol. I.

**C**Um eligimus rectè, quæ docenda ac discenda sunt, & desudamus deinde in iis strenuè, urgemusq; constanter ac premimus, quæ pulchrè & ordine incepimus semel ( quod in omni negotio desideratur cumprimis ) non potest non sequi successus felix.

Idem Vol. I. Disfert. XXXIII.

**N**on Gynæceum Schola, non taberna vinaria popinave est; sed bonæ mentis Gymnasium; sed officina literarum ac disciplinarum, quibus aut præparatur animus sapientiæ, aut animis sapientia induitur. His itaq; rebus qui non incumbere ac vigilare sedulò postulet, hunc satius erit manere domi, aut aliud agere, quàm Musarum sacraria irrumperere & violare.



# CONSISTORIUM MANSFELDENSE L. B.

## Salutem ac Officia.

**C**UM homo ex materna alvo prodeat rudis & ἀπείδωτος, & non, nisi potentiâ quâdam, sit aptus ad imbibendam rerum variarum notitiam: idcirco requiritur, si actu ipso potentia illa perfici ac eruditio solida comparari debet. Put homo omni scientiâ vacuus, deducatur ad domum doctrinæ, ceu *Chaldeus cum Syro* eleganti paraphrasi *Scholam* describit. Ibi sub magisterio optimorum Præceptorum, Supremi Numinis ope, cum fideli ac dexterâ juventutis institutione conjuncta imò eadem trabali clavo affixa sit oportet Disciplina, quæ rectissime à *S. Cypriano* vocatur *Dux itineris Salutaris*, *fons ac nutrimentum bonæ indolis* & *magistra virtutis*.

Ad Institutionem equeidem, ut fidelis illa sit atq; dextera, non opus modò est, præmissis subinde precibus ardentissimis, nuda illâ inter magistrum & discipulum relatione, quæ impigrè docendo discendoq; avidè absolvitur: nec solum requiritur paternus in docente affectus, in auditore amor & fiducia erga Doctorem, ut certò sibi persuasum habeat, qui ad pedes Gamalielis sedet, & Præceptorem vera docere, & ex animo ac amore eruditionis communicandæ & augendæ agere; verùm Ordo etiam in tractandis artibus præprimis venit tenendus, cum experientia testetur, illos, qui ἀμεθόδως procedunt, parum efficere, imò nihil prodesse. Unde non sine gravi consilio certi in Scholis instituti sunt gradus, certæ inventæ clasces, in quibus juvenus in hâc vel illâ re informatur, adhibitâ *facili methodo prudentiâq; circumspectâ* in proponendâ doctrinâ liberali ac necessariâ, & imitandis illustribus vitæ humanæ exemplis, quæ *Plato* in Theæteto non immeritò vocat *Vades* ac *Sponsores* sermonis, *Græcè* ὁμῆες τῆς λόγου, quia sunt quasi viva quædam doctrina, & mirum in modum afficiunt. Hisce mediis si accedunt *Repetitiones crebrae* & *Examina*, quibus discipulorum progressus patefiunt.

fiunt, quid obstabit, quo minus, benedicente summo Schola-  
rum direttore, Deo, *finis* institutioni propositi, *Σύνοσις* nempe,  
rerum cognitio, & *Δύναμις ἡρμηνευτική*, facultas res animo conce-  
ptas propria & perspicua oratione explicandi, acquirantur?

*Disciplinam* quod attinet, *medium* in eadem tenere verum est.  
Ubi enim *labascit*, aut non legitime usurpatur, etiam optima in-  
genia corrumpuntur, animi ad virtutem alioquin propensi, pes-  
simis inficiuntur moribus, liberalis ac concitata indoles negli-  
gitur. Quin & frustranea est ac irrita omnis informatio, ubi nul-  
la erga Superiores reverentia, nulla ad bonum obedientia. Igi-  
tur cordati & fideles *Pædotribæ* hoc unice agent cum *Lacone*,  
illo *Pædagogo* cujus *Plutarchus* in *Lacone* meminit, ut, adhi-  
bita iusta disciplinæ gravitate, adolescentes fidei ipsorum com-  
missi, honestis delectentur, turpibus offendantur. Caveat tamen,  
inquit, *strictam nimis disciplinam* averfans *Jonstons* in *Polymath.*  
*Philol.* lib. 3. c. 11. §. 34. ne modum medicina excedat. Ut ergo in  
docendo est simplex, in laudando nec malignus nec diffusus:  
sic in emendando quæ corrigenda sunt, non acerbus, minimeq;  
contumeliosus, *ne videatur objurgasse, quasi oderit*. Istiusmodi di-  
sciplina, quæ mediâ inceditur viâ, tutissima fanè est ac saluberrima,  
potissimum si *Præceptores* Spartam suam Scholasticam *vita*  
simul ac *morum integritate* exornant. *Vulgatus* siquidem ille  
*Nazianzenis* *Jambus Senarius*:

ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τοῖς ἑσώτοις,

i. e. aut ne doceas, aut moribus doce, non in ministro solum ver-  
bi, sed in præceptore quoq; reperiri fas est. Exemplo itaq; omni-  
um virtutum Præceptor discipulis præluceat, cum optima, juxta  
*Platonem* in quinto de legibus, adolescentium *παιδεία* & asve-  
factio vera ad virtutem sit, non monere multa, sed ut, quæ mo-  
nes, in omni vitâ ipse facere videaris. Interim non diffitendum,  
eos *discipulos* qui frugi sunt, & ad eruditionem grassantur, *se ipsos ex-*  
*citare* & intus latentes igniculos virtutis ostendere, seseq; mutua  
æmulatione acuere, fideles suos præceptores, mentium forma-  
tores impensè amare, colere, æstimare & ab ipsorum ore pende-

re,

re, illudq; *Pythagoricum*, ἀυλὸς ἰφά, uti habet Diog. Laërt. lib. 8. de  
vitis Philos. imitari, ac ultrò cum divino *Aristotele* confiteri, pa-  
rentibus & præceptoribus non posse æquivalens pretium rependi.

Sed misis aliis, ad rem præsentem nunc accedimus, & quod  
de benè constituta domo doctrinæ hîc monitum, idem, ut, ceu  
olim, ita impofterum de hoc quoq; *Gymnasio suo Manniaco*, *Illustris-*  
*simi atq; Generosissimi Comites ac Domini, Dn. Franciscus Maximi-*  
*lianus, Dn. Johannes Georgius, Dn. Henricus Franciscus, Dn. Geor-*  
*gius Albertus, Comites ac Domini in Mansfeld, Nobiles Dynasta in*  
*Heldrungen, Seeburg & Schrapflavia, respectivè Domini in Dobr-*  
*schütz, Neuhaus & Arnstein, Sacra Cas. Maj. Camerarius & Consi-*  
*liarius Imperialis aulicus, Comites ac Dni. nostri Graciosissimi debi-*  
*tâq; animi subjectione colendi*, polliceri sibi possent, ne pristinum  
splendorem & nomen celebre, quod Mavortii antea motus &  
exinde omnium rerum facta confusio, imprimisq; Salarîi ex  
cupro fodinarum metallicarum destinati defectus ortus, haud  
parum fufcarunt, penitus amitteret: voluerunt ac mandarunt,  
ut laudati hujus *Gymnasii Mansfeldensis* quod ab *Illustrissimis Dnn.*  
*Majoribus, Sanctæ memoriæ, Megalandri Lutheri, Civis Mansfel-*  
*densis* consilio fundatum, curâ & propensione semper benignis-  
simâ amplexi sunt, *Renovatio quædam & Extensio lectionum ac le-*  
*gum* instituatur & ad præsens eruditum seculum accommode-  
tur, eademq; publicis typis ex scribatur, quo & exteri & nostra-  
res intelligant & sciant, quænam studiorum operæ pretia in  
illo fiant, sive quid, quâ methodo & ordine, quo tempore omnia  
ibidem tractentur, doceantur & discantur.

Faxit Deus opt. Max. Scholarum Patronus summus, ut hic co-  
natus, & hæc nova *Lectionum & Legum Series*, vergat in divinum  
ipsiusmet honorem, Ecclesiæ & pietatis incrementum, hujus  
regionis Mansfeldiæ ornamentum, Reip. nostræ emolumen-  
tum, bonarumq; literarum & artium augmentum, suscitetq; in  
eum finem divina Pronocia viros, qui sua munificentia ac libera-  
litate nec non benevolentia ac humanitate, pro virili, hoc salu-  
tare opus promoveant, Amen. P. P. Islebii, Calend. Maji,  
anno recuperatæ gratiæ clō lōc LXXVI.



SERIES NOVA  
LECTIONUM AC LEGUM ILLU-  
STRIS GYMNASII MANSFELDENSIS, QVOD  
ISLEBII EST IN PATRIA BEATISSIMI  
LUTHERI.

SECTIO PRIOR

De  
GYMNASII LECTIONIBUS.

**D**iscentium coetus omnis in Sex Classes distributus est. Omnibus & singulis Scholasticarum operarum pensis, Preces ordinariae, cum recitatione Symboli Athanasii & lectione capitis Biblici, juxta constitutiones antiquas, præmittuntur, eademq; Psalmodiâ figuratâ concluduntur.

PRIMA CLASSIS.

In hanc Classem illi tantum recipiuntur, qui Grammaticum Studium aliquo modo absolverunt, atq; cum fructu non contemnendo in Logicis, Rhetoricis, Græcis, Ebraicis, Theologicis, Philosophicis, aut reliquis etiam Facultatibus exerceri possunt. Lectionum seriem sequentia Capita exhibent.

CAPUT I.

De Lectionibus quæ maximam partem Extra-ordinariae sunt,

IN THEOLOGICIS.

I. JOHANNES GOTTFRIDUS NICANDER, SS. Theol. Licentiatus, Comit. Mansfeld. Superint. Generalis & Consistorii Præses, singulis septimanis, horis duabus, *Breviarium Theologicum* tradit, & ad ejus ductum controversas maximè Quæstiones Christianæ Fidei expendit, Statum controversiæ constituit, & succincta methodo, quoad Thesin, Ecthesin & Antithesin ita exponit, ut juventus errores Pontificiorum, Calvinianorum, Socinianorum, Enthusiatarum, & imprimis modernorum

rum

rum *Syncretistarum* cognoscat, & ab illis, tanquam infelici se-  
minio in agro Ecclesiae, maturè ac diligenter sibi cavere discat.

II. Alternatim explicat & examinat *Συναγωγὴν Βιβλικὰν Γενε-  
ραλέην*; aut integrum etiam *librum Biblicum V. vel N. T. Exegeti-  
cè* prælegit; in specie autem tradit *Prioris Epistola Johannis Exe-  
gesin*: cujus pars Generalis continet non nulla præcepta & ob-  
servaciones Theologiæ Exegeticæ, quæ ad resolvendum Tex-  
tum sacrum quemcunq; imprimis faciunt.

III. Singulis mensibus *Disputatione publica* usum prædictarum  
lectionum commonstrat.

IV. Quando propter alias expeditiones Ecclesiasticas præ-  
sens esse non potest, hoc officium commendat & imponit uni  
ex Ministerio.

#### IN JURIDICIS.

Si idonei in coetu Scholastico inveniuntur Auditores & ad  
juris ac Legum scientiam proclives, proponitur a Consistoria-  
li Politico extraordinariè *Analysis & Exegesis brevissima Institu-  
tionum Justinianearum*.

#### IN MEDICIS.

Cum *Somatologia & Psychologia* magnam sapientiæ & crudi-  
tionis humanæ partem constituent, & se ipsum nosse, seu mem-  
bra corporis proprii & animæ rationalis facultates perspectas  
habere, honestissima pariter ac cunctis hominibus utilissima  
res sit: Rector M. CHRISTOPHORUS LATZKIUS, Bran-  
denburgò Marchicus, *Sperlingii Anthropologiam* cum libello  
*Philippi Melanchthonis de Anima* extraordinariè explicat.

#### IN PHILOSOPHICIS ET LINGVIS.

I. Rector extraordinariè *Disciplinas Philosophicas*, aut quem-  
cunq; *Autorem Classicum*, & ex recentiorum scriptis, imprimis  
*Augustini Buchneri Orationes* explicat, quoties nempe dantur  
inter Discipulos, qui in privatis Collegiis, ut vocant, exerceri  
volunt.

II. Tertius vel Sub-Corrector, & Cantores, Andreanus nem-  
pe, Petro-Paulinus & Nicolaitanus, diebus Mercurii & Saturni,  
hora

horâ pomeridiana, *Arithmetica* principia Primanis & Secundanis, extraordinariè, & per vices anniversarias proponunt.

## CAPUT II.

De Lectionibus reliquis, juxta dierum & horarum ordinem.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis antemeridianis.

**Hora I. M. CHRISTOPHORUS LATZKIUS**, Rector, *Compendium Theologicum Hutteri* pro lectione tractat: & ita quidem, ut Locos & Quæstiones per accuratam Analyfin & pleniorẽ quãdam Exegesin declarat, Statum controversiæ, ubi opus est, constituat, dicta Clasica *ἑστῶν* confirmantia probè expendat, & ipsam tandem *ἀντιθέσιν*, ad ductum Autoris & aliorum Theologorum, breviter dijudicet. Præterea definitionum ac necessariarum divisionum recitationem urget, & Locum Theologicum prius explicatum, in *Disputationem* trahit, ut ita discipuli Objectiones & dubia eò facilius dissolvere discant, & vera atq; solida fundamenta Confessionis illibatæ nostrarum Ecclesiarum fideliter ac maturè degustent.

**II. M. JOHANNES HARDE**, Islebiensis Saxo, Conrector & ad D. Nicol. Diaconus, *N. Testamentum Græcum* explicat: & die quidem Lunæ textum Grammaticè resolvit, præcipuarum vocum emphasin & difficiliore phrasas annotat, easq; juxta Regulas Syntaxis Græcanicæ interpretatur; atq; ita indolem Lingvæ, & singularem ac usitatum N. Testamento stylum, discipulis inculcat; Die vero Martis potiora repetit, & *Imitationes Græcas* proponit, quæ à Discipulis nonnunquam ex tempore, aliquando vero, & alternatim quidem, domi elaborantur, & eadem horâ septimanæ subsequenti, recognoscuntur & corriguntur.

**III. Rector Logicam Peripateticam**, ad ductum *Tabularum Stierii*, ita tradit, ut priori die Theoriam observet, & Præcepta, Canones ac Quæstiones fundamentaliter explicet, & exemplis selectio-

ctio-



Etioribus illustret; postridie vero *Praxin* urgeat, & alternatim modò *Usum Logica Syntheticum & Analyticum*, ipsamq; *Disputandi formam ac processum*, per præcepta & exempla perspicue ostendat; modò ex materia Theologica aut Philosophica *Disputationem* adornet, & ita vivò exemplò juventutem doceat, quomodo argumenta contraria, & quævis Sophismata, formaliter, expeditè & solidè diluere, enervare & annihilare debeant.

### Horis pomeridianis.

Hora I. Cantor Andreanus, die Lunæ, *Musices Theoriam* per præcepta locupletiora declarat, & superiores ad regendas canticiones informat; die Martis autem omnes & singulos, etiam eos, qui aliàs extra chorum sunt, & ea arte informari cupiant, canendo gnaviter exercet.

II. Corrector *Officia Ciceronis* hac methodo explicat, ut post præmissam capituli summam, & evidentem scopi ac thematis constitutionem, argumenta thema confirmantia eruat, & iisdem Syllogismis, quos Autor habet, exprimat; deinde præcipuam vocum originem, proprietatem, emphasin, elegantiam ac compositionem excutiat, & selectiores Latinitatis formas, tropos etiam & figuras, una cum variis amplificandi & exaggerandi modis ostendat; tandem contextum in Axiomata ac Monita Philosophica resolvat. Absolutò autem pensò, repetitionem instituit, & *Imitationes* extemporaneas subjicit, ut ita juvenus ex Cicerone cum Cicerone mature discat disferere.

III. Rector *Virgilium & Ovidii* selectiora Carmina, Comœdias etiam *Terentii ac Plauti*, diverso tempore, sic pertractat, ut post *Analytin Logicam, Grammaticam, Rhetoricam & Pragmaticam*, seu *Mythologicam & Philosophicam*, ante omnia Poeticæ artificium & proprietatem ostendat; deinde potiores Poeseos species, *Heroicam* nempe, *Elegiacam* ac *Dramaticam* in *Imitationibus & Exercitiis Poeticis* (nonnunquam etiam in *Actibus scenicis* extraordinariè repræsentandis) juventuti describat & commendat.

B

Die

## Die Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. II. *Concio* sacra in templo Andreano audienda est; Igitur juvenus nostra suam pietatem studio sapientiæ junctam, in publico Ecclesiæ conventu, frequentiam debitam, & horis Deo dicatis, declaret: & hoc per leges sibi incumbere, & sacris neglectis, nihil se proficere posse, assidue meminerit.

II. Finitis sacris, Rector *Styli Exercitia* urget, & in oratione potissimum soluta, eaq; aut Latina, aut Græca, maximè tamen Latina, materiam Epistolæ, aut Historiæ, aut brevioris Orationis, aut alterius cujusdam generis dictat, eaq; lege proponit, ut domi elaboretur à Discipulis, & in eadem septimana, die nempe Saturni, publicè cognoscatur & emendetur.

Meridianum tempus, ut & diei Saturni, aliàs à publicis operis liberum, tribuitur *Lectioibus ac Disputationibus Extraordinariis*.

## Diebus Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis.

Hora I. Rector tractat *Philosophica*, & quidem synopticè & alternatim explicat *Noologiam & Gnostologiam Calovii*, *Metaphysicam Frommii*, *Pneumaticam Scharffii*, *Physicam Sperlingii*, *Mathematicam Nottmagelii & Strauchii*, *Ethicam & Politicam Thomasi*, *Oeconomicam Wendeleri*. Aliquando *Historica* interserit, & per vices *Sleidanum ac Justinum*, aliquando etiam *Val. Maximum, Svetonium, Livium*, aut alium hujus census autorem ita enucleat, ut ex illis non solum præstantiores Latinitatis formas & exempla selectiora extrahat; sed etiam *Quæstiones, Axiomata, Observationes & Monita* ad hominum vitam rectè informandam, & alienos casus cognoscendos utilia, facili quadam ac perspicua methodo formet.

II. Corrector *Poetam Græcum*, & alia ad *Poesin Græcam* spectantia enucleat. Inde ex sacris *Rhodomanum, Nonnum* aut *Posselium*; ex profanis *Homerum, Pytharum, Hesiodum*, aut alium quendam ad manus sumit, eumq; juxta methodum accuratè

Ana.

Analyscos pertractat. *Imitationes* etiam, seu materiam *Carminis Graeci* proponit, & elaborationem nonnunquam extemporaneam urget; aliquando autem, & alternatim quidem, Discipulis injungit, ut propositum thema domi elaborent, quò in sequenti septimana, eadem hora diei Veneris, publicè corrigatur.

III. Rector priori die *Vossii Institutiones Rhetoricas*, quà definitiones & solida atq; sufficientia, cum Progymnasticæ, tum Gymnasticæ Eloquentiæ fundamenta explicat, eademq; subinde varii generis Dispositionibus illustrat, ita, ut illæ ipsæ modò se junctim *Progymnasmatum apthonii*, ac prolixiorum Orationum varias species, modò conjunctim nonnullos *Actuum Oratoriorum* Ideas repræsentent; postridie *Exercitia Declamatoria hebdomadaria* instituit, & ad specimina eloquentiæ solennia, singulis quadrantibus anni, & maximè circa solenniora festa, in publica *πυργει* recitanda proveciores Discipulos præparat. Præscribuntur autem & gubernantur hæc *solennia Declamationum Exercitia* ab utroq; Præceptore supremo, ita, ut Rector in prosa & Carmine *Latina* moderetur, & Dominos Patronos, aliosq; eruditos viros, ad ipsum Actum Oratorium, ut vocant, Programmate invitet; Corrector vero *Grecæ*, eodem modo, in soluta pariter ac ligata oratione dispiciat.

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantores *Musicam Præcticam* per vices exercent, & eadem operâ, suos ex discipulis Symphonicos, ad cantiones Chorales, & hymnos in templis decantandos, ritè ac maturè præparant.

II. Tertius die Jovis *Orationem Græcam Isocratis*, aut *Demosthenis*, aut *Plutarchi* quoddam scriptum prælegit, & *Imitationibus* brevioribus extemporaneis illustrat; Die Jovis autem *Horatii* Odas & Carmina selectiora interpretatur, & ea, quæ ad *Poesin Lyricam* spectant, Discipulis inculcat & familiaria reddit. Proponit etiam materias *Imitationum* aut *Parodiarum*, quas Discipuli nonnunquam, ipso præeunte, ex tempore; aliquando autem, & per vices quidem, domi elaborant, & eadem horâ sequen-

tis septimanæ, publicè exhibent, ut recognoscantur & emendentur.

III. Rector *Orationes Ciceronis* hac methodo prælegit: Primò Analyseos ope, totius Orationis causas, genuinum scopum, & disciplinam, ad quam revocatur, ostendit: Orationem ipsam in partes secat, & singularium partium Enthymemata vel Syllogismos principales eruit, eorumq; amplificationes, exaggerationes & ornamenta, quæ tropos, figuras, verba emphatica, periodos, numerum Oratorium, phrasas etiam selectiores, & formulas contextum & materiam concernentes, observat; postea vero, & cum primis die Veneris, ad *Genesim & Praxin* respicit, & Discipulos in simili quodam themate elaborando exercet, ut ita aureum Tullianæ orationis flumen maturè imitari, & similia præstare conentur.

### Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Rector, pro uberiore *Compendii Hutteriani* explanatione, *Augustanam Confessionem, & Formulam Concordie*, quoad articulos Doctrinales & Ceremoniales, succinctè explicat, & ad earundem ductum Controversias communiores classicas, tam veteres, quàm neotericas, in Thesi & Antithesi, operosius deducit. Eum in finem adhibet etiam Theologorum nostrorum methodicas super hos libros commentationes, cum primis Augustanæ Confessionis Exegesi D. Menzeri, Exegema D. Calovii, & Methodicam A. Confes. ac Formulæ Concordiæ Repetitionem D. Deutshmanni. Ut autem hæc omnia cum majori fructu expediantur, quemlibet Articulum dictâ methodo explicatum, sub *Disputationis* incudem ita revocat, ut juvenes proveciores argumenta & rationum momenta in libris Symbolicis contenta, in utramq; partem diligenter examinent & perpendant, atq; ita etiam solida & explorata Theologiæ fundamenta jaciant.

II. Conrector *Ebrae Lingva* fundamenta ex *Horologio Schickardi* explicat, & *Praxin* in *Analyfi & Compositione* urget. Resolvit

solvit autem *Dicta Classica*, ex *Genesi* priora aliquot capita, ex Psalmis verò illos præcipuè, qui sunt de tempore. Ad majorem institutionis fructum adhibet etiam *Jacobi Eberci* Tetrasticha Ebræa, quæ Evangeliorum & Articulorum fidei summam continent, & ob phrasium delectum & Rhythmorum suavitatem, hoc studium sanctum insigniter promovere possunt.

III. Rector *Exercitium styli*, quod proposuit die Mercurii, a discipulis reposcit, illudq; ita cognoscit & emendat, ut errata notet, monstret, & omnes ac singulos moneat, ne eadem peccata peccare pergant.

Idem, pro temporis ratione, ex lectionibus per septimanam habitis, *Diexodiam repetitionem* instituit, & hoc modo in discipulorum progressum, quem interea temporis in studiorum cursu effecerint, debita ratione inquirat.

### SECUNDA CLASSIS.

Ad hanc Classem provehuntur, quibus accuratius Grammaticæ præcepta traduntur, & quos, post jacta primæ artis fundamenta, ad fontes Latini sermonis, nec non tersissimorum Auctorum lectionem, ac principia Græcæ lingvæ uberiora deduci & invitari oportet.

### Diebus Lunæ & Martis.

#### Horis antemeridianis.

Hora I. Conrector priori die *Compendium Theologicum Hutteni* explicat, & adolescentes ad ediscendas definitiones ac divisiones necessarias præparat; postridie *Etyimologiam ex Rhenii* Compendio Grammaticæ Latine proponit, & ita inculcat, ut præceptorum etiam recitatio à juventute exigatur.

II. Tertius die Lunæ *Colloquia Stephani* majora Grammaticæ examinat, & vocabula emphatica, selectiores phrasés, definitiones & sententias ita explicat, ut Discipuli præter Latinitatem, prægustum omnium rerum inde hauriant; die Martis autem ea, quæ pridie proposita fuerunt, moderatè repetit, & *Imitationes* breviores extemporaneas, eâ methodo, in calamum dictat, ut certæ Regule, Syntaxeos Latine in illis exprimantur.

III. Cantor Andreanus die Lunæ *Grammaticam Græcam Wel-  
leri*, quæ præcepta Generalia, & genuinum Declinandi & conju-  
gandi modum proponit; sequenti die *Græcum Catechismum* cum  
*Symbolis Oecumenicis*, iisque Græcis, ita explicat, ut usum præcepto-  
rum Grammaticæ cum phraseologia potiore discant, & manè,  
quando preces ordinariæ habentur, caput quoddam ex Cate-  
chismo Græco, distinctè & expeditè recitare possint.

Horis pomeridianis.

I. Cantor Andreanus, die Lunæ Secundanos cum Primanis  
conjungit, & ex certa quadam *Synopsi Musica* artis fundamenta  
ipsis inculcat; die Martis autem *Praxin* respiciens, in Musica  
*figurali* eosdem exercet.

II. Tertius *Cornelium Nepotem* tractat, & die quidem Lunæ  
Grammatices, vocabulorum ac phrasum insigniorum accura-  
tam habet rationem; die Martis autem, post decentem præce-  
dentis lectionis repetitionem, *Imitationem* brevioribus ac per-  
spicuis periodis constantem subjicit, & alternatim quidem, ac  
servatis vicibus hebdomadariis, modo extemporaneam; mo-  
do autem talem proponit, quæ domi à discipulis elaboratur,  
& eadem horâ septimanæ subsequenti publicè exhibetur &  
corrigitur. In his autem Imitationibus ea, quæ *Nepos* de Græ-  
corum heroibus adducit, ad viros accommodat illustres, quo-  
rum vitam & facta *Georgius Fabricius in Historiis Sacris* describit:  
quin phrasas & formulas selectiores ex *Stephanii Colloquiis* ex-  
plicatis subinde interferit, atque hoc modo juventutem ad debi-  
tum elegantioris styli cultum præparat.

III. Rector Secundanos cum Primanis in *Virgiliana & Teren-  
tiana*, nec minus in *Ovidiana* lectione conjungit, eò tamen di-  
ferimine, ut difficiliora quæ Grammaticam, & potiora quæ Lati-  
nitatem annotent, quò cultiores inde, & cum majori fructu ad  
primam Classem aliquando transferri queant.

Die Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. II. Secundani cum cæteris superiorum Classium  
disci-

Discipulis, in templo Andreano, ad *Concionem* audiendam, & sacra ritè celebranda tempestivè compareant.

III. *Corrector Exercitium styli Latini* ad calamum dicitur, & servatis vicibus, modo in *prosa* Usum lectionum Grammaticarum observat; modo in materia brevioris *Carminis*, aut versibus transponendis saltem & in ordinem redigendis, ea applicare docet, quæ in *Eobano Hesso* cum primis Imitationem merentur. Aliquando etiam *Exercitium Græcum* proponit, & hæc opera in discipulorum progressus, quos in Græca lingua fecerint, inquirat. Non autem extemporaneam elaborationem urget; sed discipulis imperat, ut domi themata elaborent, & die Saturni exhibeant, ut publicè corrigantur.

### Diebus Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis

Hora I. *Corrector Syntaxin Latinam* urget, & rēritatis antè & breviter explicatis aliquot *Regulis*, *Usum Syntaxeos* in breviori *Exercitio extemporaneo* Discipulis ostendit.

II. Tertius die Jovis, ad ductum *Grammatica Græca Welleriana* genuinam Declinandi & Conjugandi rationem ostendit, & potiora quàm *Accentuum* doctrinam, *Syntaxin* & *Prosodiam* explicat; die autem Veneris *Evangeliorum* anniversariorum *Pericopas Græcas* Grammaticè resolvit, & *Imitationem* proponit, quam Discipuli, ipso præeunte & adminicula suppeditante, nonnunquam eadem horâ; aliquando verò, & alternatim quidem, domi elaborant, & in proximè sequenti septimana, eodem tempore exhibent ut corrigatur. Solet etiam ex *Posselio* nonnulla *Disticha*, quæ Evangelii summam, aut breviores sententias continent, *Prosodice* declarare, & ad eorum *Imitationem* versus transpositos, & ex tempore, aut domi in ordinem redigendos, proponere, ut ita discipuli ad accuratiorem etiam *Græca Poeseos* cognitionem maturè præparentur.

III. *Cantor Andreanus* *Epistolas Ciceronis* faciliores & selectiores enarrando, phraseologiam inculcat, & usum præceptorum Grammaticæ in *extemporaneis Imitationibus*, & *Epistolis* cum primis, ostendit.

Ho-

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantores, Secundanos cum Primanis conjungunt, & eos de *Musica* tam *Figurali*, quàm *planâ* seu *Chorali*, per vices edocent.

II. Conrector die Jovis *Psalmos Davidis* ab *Eobano Hesfo* carminicè redditos, *Grammaticè* & *Poeticè* resolvit; die Veneris autem ex illis per breves *Imitationes*, aut versus transpositos saltem eâ lege proponit, ut à *Discipulis*, ipso præeunte & adminicula suppeditante, ex tempore elaborentur, aut in ordinem redigantur.

III. Rector *Secundanos* in lectione *Ciceroniana* *Primanis* associat: sed ita, ut illi *Grammaticam* potissimùm *Analytin*, & selectiores phrasas observent, & hoc modo *Ciceronis* elocutioni paulatim assuescant.

Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Conrector in *Hutteri Compendio*, & principiis *Theologicis*, denuò exercet *Secundanos*.

II. Tertius *Historias Sacras Georgii Fabricii*, aut aliquando *Comœdiam* quandam *sacram* ex *Terentio Christiano Schonai* ita prælegit, ut modò *Grammaticè* difficiliiores voces explicet, & insigniores phrasas & formulas inculcet; modo *Imitationes* *extemporaneas*, easq; breves, & ad certas *Syntaxeos Regulas* accommodatas, proponat.

III. Conrector *Exercitium styli*, quod die *Mercurii* proposuit, ad *limam* revocat & emendat.

CLASSIS TERTIA.

In hac Classe consistunt illi, qui ad pleniora jam exercitia *Grammatica* ac *Latini sermonis* provehendi, adeoq; libellis aliquam *vocum & formularum Latinarum* delectum & varietatem suppeditantibus, extimulandi sunt.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis antemeridianis.

Hora I. Tertius die *Lunæ* ex *Hutteri Compendio Theologico* eas

que.



quæstiones explicat, & pueris ediscendas proponit, quæ nul-  
lum prorsus signum adjectum habent; die autem Martis quæ-  
stionum propositarum & explicatarum recitationem urget, &  
ex *Catechesi Latina* certum caput repetit, quod itidem à pueris  
ex memoria recitatur.

II. Cantor Andreanus *Etymologiam Latinam* sic tractat, ut die  
Lunæ ex *Donato* Paradigmata Declinationum & Conjugatio-  
num repetat; die Martis autem ex *Compendio Grammatico Rhe-  
nii* præcepta explicet, & eorum usum exemplis brevioribus ac  
perspicuis declaret, additis & repetitis insuper iis, quæ idem  
*Rhenius* habet in *Tyrocinio*.

III. Cantor Petro-Paulinus die Lunæ *Orbem pictum* explicat,  
& in *Analyse* ne notissimam quidem vocem omittit, quin signi-  
ficationem propriam inculcet, & ex Grammatica demonstret,  
cur ea ipsa hoc & non alio se habeat modo; die Martis autem  
potiora repetit, & totum caput in quæstiones resolvit, atq; hoc  
modo responsionem, & expeditam textus recitationem exigit.  
Tandem per brevem, & ad Syntaxeos Regulas applicatum *Imi-  
tationem* proponit, quam pueri, ipso præeunte & difficiliora  
monstrante, è vestigio elaborant, & in libellis suorum Exerci-  
tiorum exhibent, ut recognoscatur.

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantor Petro-Paulinus *Musices* præcepta generalia  
& communissima, unâ cum *Clavisatione*, in minore Auditorio  
expedit, & hoc modo solida artis fundamenta pueris instillat.

II. Cantor Andreanus *Colloquia Stephani* minora explicat,  
& post accuratam *Analyse* Grammaticam, ex iisdem vocabu-  
la etiam emphatica, phrasas selectiores, descriptiones, peri-  
phrasas & sententias pueris inculcat: *Imitationem* etiam bre-  
vem *extemporaneam* adjicit, & eandem, quemadmodum in *Or-  
bis picti* explicatione fieri solet, ad certas Syntaxeos Regulas  
restringit, atq; hac ratione discantibus ad Latinitatem, ac debi-  
tum Styli cultum, primam quasi viam aperit.

III. Tertius *Syntaxin Latinam* explicat, & Regularum usum

C

exem-

exemplis brevioribus ac perspicuis declarat, additis & repetitis etiam illis, quæ *Rhenius* habet in suo *Tyrocinio*.

### Diebus Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. II. Tertiani *sacris* interfunt.

III. Tertius *Exercitium Latinum*, in Imitatione ex Colloquio noviter explicato, proponit: sed ea lege, ut Usum Grammaticæ Latinæ, & Syntaxeos cum primis, in eodem observet, & Discipulis injungat, ut materiam propositam elaborent domi, & die Saturni exhibeant, ut corrigatur.

### Diebus Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis.

Hora I. Tertius die Jovis *Profodiam Latinam ex Compendio Rhenii* explicat, & præceptorum usum in Disticho quodam, ex *Zehneri Sententiis* petito, demonstrat; die Veneris *Versus* aliquot *transpositos* proponit, quos pueri, ipso præeunte, in ordinem redigunt, & cum disticho in chartam conjiciunt & exhibent, ut recognoscantur.

II. Cantor Andreanus die Jovis *Grammaticam Græcam Welleri*, & ex ea genuinam declinandi & conjugandi rationem docet; die Veneris autem *Dictum* quoddam ex *Evangelio* sequentis *Dominicæ* resolvit, & *Usum præceptorum Grammaticorum* demonstrat, eademq; operâ *Regulas Syntaxeos* communiores inculcat. Solet etiam *Vocabula ex dicto Græco* excerpere, & tabulæ inscribere publicæ, quò à pueris describantur & ediscantur.

III. Cantor Petro-Paulinus *Orbis picti* explicationem & applicationem continuat, eâ nempe methodo, quâ diebus Lunæ & Martis in hoc libello pertractando utitur.

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantor Andreanus & Petro-Paulinus *Muscam* per vias exercent.

II. Cantor Andreanus *Colloquia Stephani* & explicare, & applicare pergit: sed ita, ut *Imitatio*, quæ diebus Veneris proponitur

tur

tur, ad Regulas Grammaticas applicetur, à Discipulis domi elaboretur, & eadem hora pomeridianà, septimanæ subsequenti, exhibeatur & corrigatur.

III. Cantor Petro-Paulinus *sententiosos Versus*, quos *Murmelius* ex *Tibullo*, *Propertio* & *Ovidio* collegit, cum *Etymologicè* & *Syntactice*, tum *Prosodicè* explicat, & phrasibus selectioribus ad calamum dictatis, & recognitis, *Imitatiunculas* in prosa, aut versus transpositos proponit, & elaborationem, aut versionem, eà ipsa hora, & modo circa *Orbem pictum* & *Colloquia Stephani* ostensò, à juventute exigit.

### Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Tertius Discipulos ad capitum doctrinæ *Catechetice* recitationem, quæ diebus Dominicis in templo fieri solet, debitò modo præparat. Eum in finem non solum *Catechismum Germanicum*, & adjectas *Spangenbergii* quæstiones repetit; sed etiam *Catechismum minorem Francofurtensium*, *Wittebergæ* dictis classicis illustratum, proponit & inculcat.

II. Cantor Andreanus *Græcum Evangelii dictum*, quod die *Veneris* explicavit, cursoriè repetit, & post *Græci* & *Latini* textus recitationem, *Græcam Imitationem*, eamq; brevissimam proponit, quam pueri, ipso præeunte, elaborant & exhibent, ut recognoscatur.

III. Tertius *Scriptum seu Exercitium Latinum* corrigit, & pueros de singulis vel *scriptionis*, vel *phrasium erratis* & *barbarismis* ita admonet, ut in quam *Grammaticæ partem* & *Regulam* peccaverint, ostendat.

### QUARTA CLASSIS.

In Quartam Classam transferuntur, qui expeditam legendi & scribendi rationem, nec non *Catechismum Germanicum*, ut & *Etymologiæ initia*, unà cum modo *Declinandi* & *Conjugandi* tenent. Coniunguntur autem in plerisque lectionibus cum *Tertianis*, sed ita, ut non promiscuè & indiscretè iisdem præceptis & exercitiis informantur; sed ea saltem audiant & discant,

scant, quæ faciliora sunt, & quibus ad solidiorem eorum, quæ proferuntur, cognitionem, præparari possunt.

### Diebus Lunæ & Martis.

Horis antemeridianis.

Hora I. Tertius die Lunæ ex *Latina Catechesi* certam periodum explicat, eamq; pueris proponit ut ediscatur; die Martis explicata repetit, & textus *recitationem* urget.

II. Cantor Andreanus die Lunæ *Donatum* repetit; die Martis ex *Compendio Rhenii Etymologie præcepta* Generalia explicat, eademq; ad ductum *Tyrocini Rheniani* exemplis brevissimis declarat.

III. Cantor Petro-Paulinus ex *Orbe picto* textus expositionem urget, & vocabula ac phrasas Grammaticæ, quæ faciliora, explicat, eademq; in *Imitationibus* breviculis applicat & inculcat.

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantor Petro-Paulinus, *Musica* principia methodo, quæ fieri potest, facillimâ, proponit & instillat.

II. Cantor Andreanus ex *Colloquiis minoribus Stephani* expositionem urget, & vocabula cum primis & phrasas, quæ faciliora, explicat, eorumq; usum in exemplis brevissimis, & ad præcipuas Grammaticæ regulas accommodatis demonstrat.

III. Tertius *Syntaxin* proponit eâ methodo, quæ utitur apud Tertianos. Non autem à recitatione, sed explicatione præceptorum, institutionis initium facit, & faciliora à difficilioribus secernens, non tam *Exceptiones*, quàm *generales* saltem *Regulas*, earumq; *usum & Applicationem* urget.

### Die Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. II. Quartani *Sacris* intersunt.

III. Cantor Andreanus *Exercitium*, seu *Imitationem* breviculam & facilem, ex *Stephani Colloquiis minoribus* proponit: & ita quidem, ut in ea *Generalia præcepta Grammatica*, & ad minimum *duæ*, aut tres *Regulæ* ex *Syntaxi* applicentur.

Die.

## Diebus Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis.

Hora I. Tertius *Distichon*, quod apud Tertianos ad *Profodi- am* examinat, Quartanis *Etymologicè* explicat, ejusq; recitationem urget.

II. Cantor Andreanus, die Jovis ex *Grammatica Græca* ea proponit, quæ ad legendi & scribendi rationem faciunt; die Veneris autem pueros ad *Paradigmata Declinationum*, & verbum *Tōmā*, paulatim, ac pro ipsorum captu, assuefacit.

III. Cantor Petro-Paulinus *Orbis picti* tractationem eâ methodo continuat, quâ aliàs diebus Lunæ & Martis apud Quartanos utitur.

Horis pomeridianis.

Hora I. Cantores, Andreanus & Petro-Paulinus, Quartanos cum Tertianes conjungunt, eosq; per vices, in *Musica* exercent.

II. Cantor Andreanus *Colloquia Stephani* methodo supra ad diem Lunæ & Martis præfinitâ, explicare pergit.

III. Cantor Petro Paulinus ex versibus, seu *Locis communibus Marmelii* faciliora, hoc ordine proponit, ut factâ expositione, *Analyfin* urgeat, & in ea, ex *Donato*, paradigmatum instituat repetitionem.

## Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Cantor Petro-Paulinus *Catechesin Germanicam* repetit, & *Quæstiones Spangenbergii*, cum potioribus ex *Catechismo Francofurtano*, inculcat, puerisq; imperat, ut domi eas assidue repetant, quò in templo Andreano non minus, quàm Tertiani, capita doctrinæ Christianæ recitare possint.

II. Cantor *Dictum Evangelicum Latinum*, quod Tertiani recitant, Quartanis Grammaticè explicat, & recitationem urget, etiam in vernacula lingua. Addit nonnunquam ex *Appendice ad Rhenii Donatum*, alia hujus generis *dicta Latino-Germanica*, sed ita, ut pueri eorum prolixitate aut multitudine non obruantur.

III. Cantor Andreanus *Scriptum*, seu *Imitationem* illam brevem & facilem, quam die Mercurii proposuit, emendat, & in quibus Donati ac Regularum Grammaticarum immemores fuerint pueri, fideliter ostendit. Idem ex ordine Tertio & Quarto deligit, qui postridiè certum *Catechismi caput* recitent in templo.

### CLASSIS QUINTA.

Continet pueros Catechumenos pariter & Donatistas.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis antemeridianis.

Hora I. Collega Sextus, ex *Donato Rhenii Paradigmata Declinationum* pueris inculcat.

II. Cantor Petro-Paulinus die Lunæ *Vestibulum Comenii*, adductum & normam *Donati*, explicat; die Martis autem *Vocabula & textus explicati recitationem* urget.

III. Sextus audit recitantes *Catechismum Germanicum*, cum adjunctis *Questionibus Spangenbergii*.

Horis pomeridianis.

Hora I. Sextus docet pueros *Germanicè & Latinè* scribere.

II. Cantor P. P. *Vestibulum* explicare pergit, & ita quidem, ut die cum primis Veneris, vocabulorum & textus *recitationem* iterum à pueris exigat.

III. Sextus ex *Donato Paradigmata Conjugationum* inculcat.

Die Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. Sextus audit pueros *legentes*, & se mutuò interrogantes *Vocabula Latino Germanica* ex *Donato*, eademq; ad *Declinationes & Regulas de Genere accommodantes*.

II. Cantor P. P. audit recitantes *Psalmos Germanicos*, & ex iis qui maximè sunt familiares.

III. Sextus *Beustii versus*, cum *Dicō* quodam *Evangelico* breviori, *Etymologicè & Syntacticè* explicat, puerisq; injungit, ut domi & *Latinum & Germanicum textum* perlegant ac memoriam mandent.

Die-

## Diebus Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis.

Hora I. Sextus ex *Donato Paradigmata* verborum *Anomalo-*  
*vum* inculcat.

II. Cantor P. P. *Vestibuli* explicationem continuat, ipsamq;  
urget recitationem.

III. Sextus audit iterum recitantes *Catechismum Germanicum*,  
& adjectas quæstiones *Catecheticas Spangenbergii*.

Horis pomeridianis.

Hora I. *Scriptionem* moderatur Sextus.

II. Cantor P. P. *Vestibulum* tractat modò præfinitò.

III. Sextus ex *Donato Regulas Syntaxeos* inculcat.

## Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Sextus audit legentes *Evangelium Latinum & Ger-*  
*manicum*: præterea *Evangelii* Summam & Usum pueris delineat.

II. Cantor P. P. urget iterum *Psalms Germanicos*, eosq; fa-  
miliares maximè.

III. Sextus audit recitantes *Versus Boustii*, & dictum *Evangeli-*  
*cum Latino-Germanicum*.

## SEXTA CLASSIS.

Continet Elementarios, qui literas Alphabeti Germ. & Lat.  
vel cognoscere, vel in syllabas conjungere, vel legere, vel li-  
teras formare, vel tandem *Catechismum* discere tenentur.  
Hos ordines Collega Sextus, & imprimis Septimus observant,  
qui ubi eos in informatione semel absolverunt, à primis iterum  
incipiunt.

## Diebus Lunæ & Martis.

Horis antemeridianis.

Hora I. *Catechismi* capita nuda, cum præcibus matutinis, ve-  
spertinis & mensalibus, ex præeunte & textum clara voce præ-  
legente puero, addiscunt, Inspectore Sexto.

II. *Litera & nexuum ac lectionis* principia, in tabula publica,  
oculari demonstratione exhibentur à Collega Septimo.

III. Ea-

III. Eadem Elementa, singulis in libro ostenduntur & inculcantur, ab eodem Septimo: qui insuper, sub finem horæ, tria aut quatuor *Vocabula Latino-Germanica*, eaq; Substantiva, ex *Vestibulo Comenii*, tabulæ publicæ inscribit, & clara voce prælegit, ut pueri ea ediscant, & aliquem vocum thesaurum in Quinta & cæteris Classibus profuturum, maturè sibi comparent.

Horis pomeridianis.

Hora I. Ad *Scripturam* asseviunt, præeunte Sexto in tabula publica. Sufficit autem quotidie unam literam docuisse, quam, ut rectè & eleganter discant pingere, studiosius idem inspicit, informat, emendat.

II. *Litera & nexuum principia* in tabula monstrantur à Septimo.

III. Eadem *Elementa* in libro monstrantur, & *Vocabula* horis matutinis proposita, repositur à Septimo.

Die Mercurii.

Horis antemeridianis.

Hora I. *Catechismi* capita nuda, *preces* matutinas, vespertinas ac mensales recitant Collegæ Septimo.

II. *Litera & nexuum principia* denuò monstrantur in libro, ab eodem Septimo.

III. *Dicta Evangelica*, eaq; *Germanica* discunt, præeunte iterum & quasi præcinente puero, qui eadem ex *Donati Rhenani* appendice, clara ac tarda voce prælegit, auscultante interim, & tumultuationes ac petulantiam cohibente eodem Collegâ Septimo.

Die Jovis & Veneris.

Horis antemeridianis.

Hora I. *Catechismum* & *preces* iterum discunt, modo circa diem Lunæ & Martis præfinito. Sextus interim auscultat.

II. *Legunt* in tabula, monstrante iterum *lectionis principia* Collegâ Septimo.

III. *Legunt* in libro, eodem Septimo Informatore, qui duo iterum, aut tria *Vocabula Latino Germanica* tabulæ inscribit, & pueris inculcat.

Horis



Horis pomeridianis.

Hora I. Scribunt, moderante ductus Collega Sexto.

II. Legunt in tabula, præsente Septimo.

III. Legunt in libro, eodem informante Septimo, qui & vocabula, horis antemeridianis proposita, à pueris reposcit.

Die Saturni.

Horis antemeridianis.

Hora I. Recitant iterum Catechismum, & preces varis generis, auscultante Septimo.

II. Elementa, seu literas & earum nexus, in libro monstrat Septimus.

III. Tandem, eidem Septimo recitant dicta Evangelica.

His omnibus juxta methodum præfinitam expeditis, in majori Auditorio, universus docentium & discipulorum ordo congregatur, & per unum, aut duos horæ quadrantes, ordinariæ supplicationes & preces Scholasticæ instituuntur. Atque ita invocato & collaudato Numine divino, operis ordinariis, quæ per septimanam, in singulis Classibus, præstari debuerunt, clausula tandem piè & feliciter imponitur.

## SECTIO POSTERIOR.

De

### GYMNASII LEGIBUS.

CAPUT I.

De Inspectorum officio.

Sicut aliæ leges, sine executione frustra proponuntur: ita necesse est, ut constituentur viri graves & eruditi, qui executores & custodes sint præscripti ordinis & legum. Quare ex Ministerio & ordine Politicorum, qui Consistorio assident, aliquos deligit, & sibi adjungit Dn. Superintendens, qui incrementum ac defectus Scholæ observant, & singulis annis, ante Examina Rectoris Scholæ, Verno tempore, ante Paschæ festum; autumno, circa festum Bartholomæi, & inspectionem, & Examen publicum per omnes Decurias suscipiunt. Horum igitur officium est.

D

I. Schol.

I. Scholam sæpe, ac per omnes fere septimanas, visitare, & in eâ docentium ac discantium studia ac labores probè observare.

II. Inquirere de ordine lectionum in singulis Decuriis, num juxta præscriptum modum procedatur, & pensa ac libelli methodici constituto tempore absolvantur.

III. Sedulo inquirere, an discipuli Conciones sacras stylo excipiant, & S. Synaxi, justo tempore, ac cum devotione debita utantur.

IV. Explorare progressum juventutis, quem singuli fecerint in suis locis, ut diligentes ad majora incitentur, & segnēs corrigantur, aut castigentur.

V. Aspiciere dictata Præceptorum in Classibus superioribus, ea præsertim, quæ in Theologicis juventuti proponuntur.

VI. De Exercitiis styli & Latinitatis interrogare, ut cognoscant, num juvenus seriò ad Latine loquendum & scribendum assuefiat, & quomodo contra delinquentes puniantur, ac muletæ pecuniariæ collocentur.

VII. Rationes de Eleemosynis pauperum Scholasticorum inspicere, ut videant, quomodo illæ administrantur & distribuuntur.

VIII. De moribus & vita Præceptorum sic inquirere, ut singulis, quoties opus est, sobrietas, modestia, ac moderatio hoc ordine digna, præcipiatur.

IX. Insigniores defectus, quos deprehenderunt in docentibus, Dn. Superintendententi maturè significare, ut ille, qui sua negligentia, aut alio modo Gymnasii florem impedit, verbis corripatur, & si non destiterit, ab officio, Consistorii autoritate, removeatur.

X. Iidem Dn. Inspectores, post Examina, alternis vicibus, modo Latinâ, modo Germanicâ oratione, Scholasticos ad officium præstandum adhortantur.

## CAPUT II.

### De officiis & moribus Collegarum, s.

#### Præceptorum in genere.

I. Re-

I. Rector suos Synergos amanter complectatur, & iidem ipsum revereantur.

II. Non quisquam in præscripta lectionum methodo, aut reliquis Scholæ constitutionibus aliquid mutet, privato arbitrio; sed utatur ea in re consilio Rectoris, & consensu Inspectorum, aut ipsius Consistorii.

III. Operas Scholasticas diligenter & fideliter præstent, memores illius: *quod maledictus sit, qui opus Domini fraudulenter fecerit.*

IV. Tempus lectionibus destinatum publicis, neque privatis lectionibus, neque domesticis negotiis impendant.

V. Vitent, quantum fieri potest, crebra convivia nuptialia, ac quoties honestè abesse non possunt, dent operam, ut alius ipsorum vicem in Schola expleat.

VI. Nullus extra urbem, insalutato Dn. Superintendente, vel Rectore, peregrè iter faciat: Et si quando necessitas id postulat, sufficiat alium, qui operas usitatas, nomine ipsius, obeat.

VII. Disciplinam Scholasticam pari cura omnes tueantur, & sint opera eorum, ut Paulus præcipit, *συμβιβαστικά.*

VIII. Vestitu utantur tali, qui honestus est, & ordinem Scholasticum decet.

IX. Si Rector in Collegis suis quicquam desiderat, placidè & candidè eos admoneat, ut spartam suam cum doctrina ac disciplina, tum vita ac moribus ornent.

X. Alter alterius auctoritatem tueatur. Si quando alicujus ex Collegis inclementer mentionem fieri audiverit, honesto eum testimonio ornet, nec aliis ipsos insectandi occasionem præbeat.

XI. Non similtates alant, aut clandestina odia: nec obtreptionibus mutuis se se deforment; sed fraternè & placidè conversentur, ne apud alios malè audiant.

XII. Nec spargant apud alios querelas de iis, quæ ipsis  
displi-

displicent in Schola ; sed id ad Inspectores Scholæ , debitò modò , ac constituto tempore , referant.

### CAPUT III.

## De officiis & moribus Collegarum in specie, & quidem

### (I.) In Schola.

I. Auditâ horâ , quâ operæ scholasticæ inchoari solent, atque ita maturè , ac in tempore adsint, nec ante absolutum pensum , aut horam auditam , exeant.

II. Initium studiorum sumatur ab invocatione Dei, & Bibliorum lectione : cui recitationi omnes interesse decet Præceptores, quibus primarum horarum labores impositi sunt.

III. In Auditorio Majori, Bibliorum lectioni Hymnos Scholasticos, & Symboli *Athanasii*, ut & Græci Catechismi recitationem, præmitti curent. Symbolum illud omnes discipuli conjunctim, & clara quidem voce, recitent: Ex Catechismo Secundanus quispiam certum caput clarè, & perspicuè pronunciet: Bibliorum autem lectio ita urgeatur, ut manè Primanus Veteris; à meridie autem Secundanus N. Testamenti caput, ex translatione Germanica B. *Lutheri* prælegat.

IV. Diebus Pœnitentialibus, & illis etiam, quæ Festa anniversaria solenniora proximè præcedunt, omnes Præceptores, cum universa pube Scholastica, in Auditorio Majore compareant, & Psalmodiâ Figurata ac Choralî, quin Bibliorum lectione, & precibus atque supplicationibus Scholasticis, Dei opem implorent, aut eidem pro beneficiis exhibitis gratias agant, atque ita se, & suos discipulos, ad instantia illa festa piè ac devotè præparent.

V. Materiæ precationum accommodentur tempori, ita, ut circa Natalem Christi, Psalmus; *Quare fremuerunt gentes*: tempore, quo Ecclesia considerat historiam Passionis Christi, caput *quingvagesimum tertium Esaiæ*: Et aliis temporibus, Psalmus; *Miserere, mei Deus &c.* recitetur.

VI. In Auditorio Minori, quod Tertianos, & Quartanos  
con-

continet, Præceptores sic ordiantur labores suos, ut manè, post consuetam cantionem, Tertianus quispiam, precationem Scholasticam, & integrum aliquod caput Latini Catechismi, clarè & distinctè recitet, cæteris omnibus, utriusque Classis pueris attentè auscultantibus; meridiè vero Quartanus aliquis, consuetis studiis, post cantionem, Psalmum quendam ex Bibliis, cum Precatione Scholastica præmittat.

VII. In Auditorio inferiore, quod Quintanos & Sextanos continet, labores suos ita ordiantur, ut manè post cantionem: *Veni sancte Spiritus*, aliquis ex Quintanis usitatas preces, & Psalmum quendam notiozem recitet, ex Sextanis autem nemo ex Catechismo Germanico certum caput, cum Oratione Scholastica, tardè & perspicuè pronunciet; à meridiè verò post cantionem: *Erhalt uns Herr bey deinem Wort* / eadem preces cum Oratione, ab aliis earundem classium discipulis repetantur.

VIII. Quemadmodum autem operarum suarum initium ab invocatione Numinis divini & Bibliorum lectione faciunt: ita non permittant, ut lectiones absque Psalmodia Scholastica concludantur.

IX. Horis informationi & certis exercitiis destinatas, serio illis impendant, nec terant confabulationibus mutuis, exigendis pænis, seriationibus, vel aliis rebus in convenientibus quæ aut improbandæ prorsus, aut rejiciendæ sunt in aliud vacuum tempus.

X. Dabunt operam, quantum fieri potest, ut libelli ordinarii, semestri tempore absolvantur, nec diutius explicationes eorum protrahantur, ne per Examen explorati, & in alias Classes translati, in medium, aut finem Autoris incidant, & mutilas particulas, sine fructu, audiant.

XI. Cum tempus Examinum instabit, Præceptores admonebunt discipulos, ut se præparent; Ipsi quoque, intermissis per unam septimanam Lectionibus, exercebunt eos, ne prorsus imparati inveniantur, & singulis serio injungent, ne ab hisce Examinibus absint.

**XII.** Disciplinam Scholasticam quod concernit, sit illa severa; sed modus in pulsationibus & verberibus, ita, ut metus & reverentia incutiatur juventuti, non carnificina exerceatur ad affligendam valetudinem, vel afferendam injuriam corpori.

(II.) In Templo.

I. Facto pulsu campanæ, ad congressus publicos templi, totus cœtus Scholasticus maturè adsit, & à Collegis destinatis utriusque choro, deducatur.

II. Solennibus feriis Apostolorum omnes Collegæ & Scholastici ad templum S. Andreæ sunt obligati; Unde unà ingrediantur, nec alii post alios, ex longo intervallo, tandem compareant. Idem intelligi debet de diebus Mercurii, quamvis Collegæ inferiores, qui ante Concionem pueros in Schola instituerunt, non adeo strictè obligentur.

III. Diebus Dominicis, & aliis solennibus festivitibus, uterque chorus suo loco adsit. Veruntamen prius in Schola Classes conveniant, ut distributio æqualis fiat, & cuilibet Cantori sui assignentur pueri ac Symphoniaci.

IV. Quando Scholastici ad libros Cantionales, seu pulpitem accedunt, Collegæ agmini se aggregent, & suo exemplo pueritiam ad modestiam flectant, nec seorsim angulos quærant, aut privatæ libellorum lectioni intenti sint, neglectis iis, quæ in præsentia sunt agenda.

V. Interea dum res sacræ peraguntur, juvenus accuratè observetur, ne confabulationibus, strepitu, & alia morum incivilitate turbas excitet, & homines offendat, & piam aliorum attentionem interturbet. Et omnes Collegæ pari curâ, suo loco petulantiam enormem coerceant, & post conciones, idoneo tempore, justa animadversione in pueros suarum Classium utantur.

VI. Cantores non tantum Musicam figuralem exercent, sed & operam dent, ut cantiones, quas Chorales communi-

munitur vocant, rectè & decenter decantentur. Ideoque in Scholâ certos dies his exercitiis tribuant.

VII. Cantiones sacræ non nimiâ festinatione præcipitentur; sed moderatio & gravitas adhibeatur, quæ ad afficiendos hominum animos multum facit. Præsertim autem Germanicæ Cantiones, ita ad populum attemperentur, ut assèqui eas possit, nec deformis discrepantia inter chorum & Ecclesium existat.

VIII. Hinc necesse est Cantores stare ad pulpitem, & tactu gubernare juventutem in canendo, ne præcant reliquæ multitudini.

IX. Mensuratio cantus, seu tactus, ut vulgo dicitur, uniformis & æquabilis servetur. Crebra enim illius permutatio per se insulsa & in decora est, animum peregrinantem, & non intentum præsentibus rebus indicat, & juventutem turbat; unde confusio concentus existere solet.

X. Vitetur & nimis sonora intonatio cantus, ut vocant, & verberatio pulpiti, quæ harmoniam deformant, & delicatas aures offendunt.

XI. Finitis sacris, Scholastici, junctis paribus, sine strepitu, clamore, & confusa concursatione egrediantur. Et Collegæ suas classes ordine comitentur, ac tumultuantes inter exeundum cohibeant.

XII. Similiter & in deducendis funeribus, singuli Collegæ certam partem gregis Scholastici observent; Ideoque bono ordine, & distinctis intervallis subsequantur.

#### CAPUT IV.

##### De officiis & moribus Discipulorum in genere.

Cum vitæ communis regula, & norma Legum optima, sit Decalogus: juxta tenorem ac ductum Præceptorum

I. Omnibus Scholasticis severè prohibita sint blasphemia, Magia, lectio librorum qui à pietate alieni: diræ execrationes, temerariæ devotiones, levia juramenta, & similes abusus nominis divini.

II. Die-

II. Diebus Dominicis, aut summis festis, nemo iter suscipiat, nisi gravissimis de causis; sed singuli, cum totâ Ecclesia, Deo gratias agant, pro conservatione Ministerii, Scholæ, & aliis beneficiis.

III. Omnes & singulos Præceptores ament, reveantur, debitamque illis obedientiam præstent, patienter ferentes animadversiones, admonitiones & exhortationes.

IV. Qui propriis sumptibus hic vivunt, habeant Præceptorem privatum ex Collegis Scholæ.

V. Peregrini nunquam in patriam, aut aliò proficiscantur, nisi impetratâ venia à Rectore, & illo, cui inspectio suæ Classis peculiariter demandata est.

VI. Vitentur injuriæ, rixæ, provocationes, monomachia, verberationes, gestationes gladiatorum & sicarum, jaculatio globorum plumbeorum; Si quæ inter se habent dijudicanda, ea Præceptoribus committant.

VII. Fugiant lotiones & natationes in frigidis, quibus insunt maxima pericula.

VIII. Abstineant ab esu crudorum, & maxime circa Julium.

IX. Hyberno tempore non conspiciantur in arcibus glacialibus: nec concedantur jactus pilarum ex nive confectarum.

X. Ab omnibus obscœnis & scurrilibus sermonibus sibi temperent.

XI. Vestitu utantur honesto, & discipulo ac personæ scholasticæ convenienti, non effœminato, molli, militari: nec insolenti, discolore, dissoluto & lingulis adstrictoriis superbiente.

XIII. Fugiant tabernas, œnopolia, symposia & convivia.

XIV. Nemo intersit Nuptiis sine venia, quæ non, nisi sanguinis aut affinitatis ratio postulet, concedatur. Impetrantes veniam, antemeridiano tempore, suum in Schola officium faciant.

XV. Prohibitæ quoque sint saltationes publicæ & privatæ, jocationes cum virginibus, matronis, ancillis, clandestinæ pro-



promissiones futurarum nuptiarum, nocturnæ vociferationes  
& discursationes.

XVI Vitent Scholastici furta, raudes, deceptiones, per-  
mutationes, venditiones & donationes librorum, & aliarum  
rerum, mutuationes pecuniæ, & similes contractus.

XVII. Lusus alearum, tesferarum, chartarum, & similes,  
in quibus pecunia, aut aliud quippiam deponitur, ne quidem  
nominentur inter Scholasticos.

XVIII. Non exhibeant Comedias, aut Spectacula, soli sine  
Præceptoribus, nec cum alieni ab ordine scholastico.

XIX. Studeant veritati, & desistant mendacia, convicia,  
reprehensiones nationum contumeliosas, famosos libellos,  
confœderationes & conspirationes.

XX. Fugiant otiores ac contemptores ordinis Scholastici, &  
in conversationibus & omnibus aliis rebus ac negotiis dent  
operam, ut neque Præceptoribus, neque sibi, neque reliquo  
coetui scholastico sint dedecori.

#### CAPUT V.

### De officiis & moribus Scholasticorum in specie, & quidem

#### (I.) In Schola.

I. In puncto horæ adsint, ut cum Præceptoribus preces usi-  
tatas peragant.

II. Præfectus & Adjunctus Chori Symphoniaci, hymnos  
Scholasticos, qui ordinariè lectionibus præmittuntur, & post  
earum clausulam decantari solent, per vices ordiantur, &  
tempori accommodent.

III. Quos ordo legendi caput ex Bibliis sacris postulat, ma-  
turius adsint, ut prius inspecto libro, sine hæsitacione, & di-  
stinctè textum sacrum pronuncient; Emanentes autem, ac ne-  
gotiis necessariis impediti, in loca sua, qui legendi munus  
obeant, constituent.

IV. Venientes in Scholam, non in atrio subsistant, confa-  
bula-

E

bula-

bulationibus indulgentes; sed conclave solitum adeant, & taciti sua loca occupent.

V. Omnes circumcurstationes in Schola prohibitz sint.

VI. Nemo fores, aut parietes Scholæ ac totius ædificii publici, aliquâ sceditate, notis, picturis, titulis & inscriptionibus scurrilibus atq; ambagibus contaminet.

VII. Nec quisquam supellectilem Scholæ, libellos, fenestras, fornaces, aut res alias tangat, scindat & maculet. Qui autem peccaverit in hanc legem, suo precio, quod fregit aut destruxit, confici curet, ac insuper pœnas det suæ petulantiz.

VIII. Lectiones Præceptorum attentè audiant, confabulationes & nugas alias omittant: Calamò, chartâ aliisque armis necessariis instructi, dictata fideliter consignent, & quæ observatu digna, in explicatione Auditorum ducuntur, non negligant.

IX. Si quid haud probè perceperint, aut si de quo dubitaverint, justo tempore Magistros adeant, interrogent, consulant, pudorem rusticum exuentes.

X. Memoriter recitantes, non insidiosè agant, sed expedite, & apertè quæ didicerunt, pronuncient.

XI. Insidias juvantes, & in aures recitantium quædam insufurrantes, à Præceptoribus, ob intempestivam illam benevolentiam, puniantur.

XII. Interrogati non musitent, sed clara voce respondeant: Apertus enim sermo, ingenuitatis signum est.

XIII. Præceptoribus è Schola evocatis, aut tardius revenientibus, murmurationes, strepitus & clamores absint.

XIV. Latinè in Schola, discipuli superiorum ordinum omnes loquantur: Et Latinè interrogati, Latinè respondeant.

XV. Scripta Præceptoribus exhibenda, suo Marte componant, & his styli exercitiis omnes ingenii vires experiantur.

XVI. Germanicè loquentes, aut contra bonos mores delinquentes, pro arbitrio Præceptorum pœnas luant.

XVII. Si qui se pecunia à plagis redemerint, ea in usum publicum transferatur.

XIX, E

**XIX.** E Schola nemo abeat absq; venia.

**XX.** Dimissi sine strepitu, sine rixis, sine clamore, taciti exeant, & protenus in musca ac hospitia sua se recipiant.

(II.) In Templo.

**I.** A concionibus sacris nemo, sine gravissima causa, absit; sed auditō campanæ signō, omnes tempestivē compareant.

**II.** Quilibet templum, ad quod destinatus est, ingrediatur, nec, nisi veniā à Præceptoribus impetratā, aliud adeat, aut extra suum emanat.

**III.** Palliis non in humeros rejectis, aut in alterum latus indecorē pendentibus, templum ingrediantur: nec manē implexo capite, aut illota facie compareant, ut solent pigri & qui somni sunt mancipia.

**IV.** Symphoniaci ad pulpita, & libros cantionum omnes præstō sint, & æqvabili voce ductum Cantorum attentē sequantur.

**V.** Absint inter canendum confabulationes, & lectiones in libris, sive sacris, sive profanis: Gesticulationes, circumspeditiones, & omnes motus indecori & immodesti vitentur.

**VI.** A pulpitis discedentes, cum cæteris loca sua modestē occupent, eaq; teneant, nec vagentur hinc inde, & strepitu alios auditores offendant.

**VII.** Conciones studiosē & aperto capite audiant: notent ex iis, quæ requirentibus postridie Præceptoribus referant.

**VIII.** Ad nomen Jesu omnes flectant genua.

**IX.** De rebus sacris si quis scurriliter loquetur, aut ad jocos profanos verba sacra transtulerit, acriter punietur, & in carcerem conjicietur, aut, pro ratione delicti, relegabitur.

**X.** Si ætas & judicium floret, anno ad minimum quater utantur Sacra Synaxi.

**XI.** Accessuri ad Sacram Synaxin, semper se sistant Rectori, ut ipse nomina illorum consignet, veræq; pœnitentiæ requisita repetens ac urgens, ad seriam vitæ emendationem hortetur atq; stimulet.

**XII.** Qui aliquoties à Rectore moniti, impiè immorigeri ac negligentes in pio hoc opere deprehensi fuerint, tandem Dn. Superintendenti, & reliquis Ecclesiæ ministris significantur, qui ope Consistorii consilium inibunt, quæ pœna ad declinandum scandalum, ejusmodi spuria Ecclesiæ & Scholæ membra afficienda sint.

**XIII.** Porro, in Præceptorum nutus intenti sint discipuli, ne in templis, cum indecoro plagas ferre cogantur.

**XIV.** Concionibus finitis, rursus cum modestia pulpita accedant, & strepitus, quantum fieri potest, vitent.

**XV.** Templis nullus, ante finem omnium sacrorum, nisi impetratâ veniâ, exeat.

**XVI.** Sacris finitis, rursus junctis paribus, modestè, ad Præceptorum nutum, per januam consuetam exeuntes, in Scholam, aut domicilia revertantur.

**XVII.** Furtim diffluentes, aut cum indecoro cursitantes accedentes, puniantur.

**XVIII.** Cum nuptialia sacra canuntur, Cantoribus obtemperent Symphoniaci, nec sine ipsorum permissione, ante finem, se subducant.

**XIX.** Quicumq; in templo, dum sponsi novi consecrantur, gregatim prodeambulaverint, & ridendo, gesticulando, aut alia ratione immodestè ac petulanter se gesserint, ad gravissimas pœnas trahantur, aut etiam, si enormiter peccaverint, à cœtu Scholastico excludantur.

**XX.** Tandem, uti in aliis congressibus publicis, ita vel maxime in conventibus Ecclesiæ, pietatis sc., verecundiæ & modestiæ studiosos re ipsâ probent.

### (III.) In Plateis & Funerum deductionibus.

I. Vitetur omnis petulantia, scholastico cœtu indigna.

II. Intermittant stationes, ut loquuntur, ac confabulationes.

III. Non decertent rixis, pugnis, aut clamoribus.

IV. Ministris Ecclesiæ, Magistratui, Præceptoribus, viris doctis, honoratis civibus, senibus, peregrinis debitum hono-

rem

rem exhibeant: prætereuntes de via cedant, & caput reverenter aperiant.

V. Funeri deducendo, si generale illud fuerit, omnes ordine ex Gymnasio, aut templo prodeant, non Symphoniaci tantum, sed & reliqui; si speciale, illi qui iussi fuerint.

VI. Eant ordine, junctis paribus, & modeste: vitent strepitus, confabulationes, risus, discursationes, nec relinqvantur intervalla, prioribus celerius procedentibus, posterioribus verò tardius subsequantibus.

VII. Prætereuntes ædes defuncti, & cætus hominum honestorum, exhibeant ipsis reverentiam nudatione capiti.

VIII. Omnes pariter canant: ita tamen, ne harmonia, aut concentus turbetur, prioribus vel citius, vel tardius, non pari modo respondentibus posterioribus.

IX. Ad locum sepulturæ, similiter quilibet sua voce adjuvet præcipientem: idq; eâ animi devotione, ut appareat singulos cogitare de horribili mortis spectaculo, peccati magnitudine, & mortuorum resurrectione.

X. Post humationem, eodem ordine & modestia, ut progressi sunt, vicissim discedant. Corycæi hîc sint memores sui officii, ut immodestiores, in Scholam reversi, pœnas luant.

(IV.) In Collectione Eleemosynarum, & Exercitiis Musicis, quæ in plateis & conviviiis Nuptialibus adhibentur.

I. Diebus Dominicis, quando dividuntur Scholastici pauperes, quilibet ei cœtui se adjungat sine tergiversatione, cui à Rectore est destinatus: Eant autem ordine, junctis paribus, sine clamoribus, confabulationibus & tumultu, tranquillè & modestè, ut cives ad liberalitatem, & amorem ordinis scholastici invitentur.

II. Panes acceptos fideliter in Scholam deportantes, tradant Oeconomo ordinario: pecuniam datam pixidibus indant, & offerant dispensatori.

III. Nemini seorsim licitum sit, ullibi in oppido ostiatim cibum quærere.

IV. Pecuniam singulis septimanis à Præceptoribus acceptam, in bonos & necessarios usus collocent.

V. Figuralem exercentes Musicam, circa Natalem Christi strenam colligant; utque omnia modestè, & rectè fiant, sibi ipsis leges ferant, ita tamen, ut Rectori & Collegis prius eas exhibeant.

VI. Cum decantationes fiunt, non provocent Symphoniaci dicteriis aut contumeliis ebriosos, aut alios obviam sibi factos: Interrogati, aut salutati, placidè & modestè respondant.

VII. Præfectus & Adjunctus Choros dirigant, & honestas tantum, & castas cantiones, temporique, locis & personis convenientes deligant.

VIII. Vocati in convivia Nuptialia, & honestorum hominum, dent operam, ut Scholæ, Præceptoribus, & sibi ipsis magis honori, quàm oneri sint. Ideoque nimias ingurgitationes cibi & potus, petulantiam & mores agrestes vitent: nec unquam ibi ad mensas turpiter parasitentur, ceu canes famelici, passim objectis inhiantes offis. Præfectus & Adjunctus parum moratos de officio suo admoneant; nolentes obtemperare deferant ad Præceptores.

IX. Ultra novam in Nuptiis non canant; Hinc dimisso choro, quilibet in suum hospitium se recipiat: Priusquam hoc fiat, Præfectus & Adjunctus pecuniam à se collectam (quam tamen fideliter colligant) in conspectu vel omnium, vel potentiorum Concentorum numerent, & postridie Rectori tradant.

X. Nec minus reliquam Symphonicorum pecuniam, quæ in plateis colligitur, Rectori sua manu annunmerent & tradant, ut ab eo reservetur, & post elapsum anni quadranssem, præsentem Cantore Andreano, distribuatur.

(V.) In Ædibus & Hospitiis.

I. Scholastici, memores mandati divini, honorent suos parentes ac Dominos: sint officiosi, agnoscant ingentia eorum beneficia, & præstent debitam obedientiam.

II. As.

II. Assuescant mature surgere. Matutinum enim tempus studiis convenientissimum est, juxta illud: Aurora Musis amica. Porro lotis manibus, capilloque pexo, Gratias agant Deo pro nocturna custodia, & ardentem ab eo successus, & gubernationem in studiis petant. Deinde Caput in novo, aut veteri Testamento legant, & ediscant prælecta in Gymnasio.

III. Scripta sua tam ligata, quam soluta orationis, domi composita diligenter, & descripta mundè, in Scholam inferant, & Præceptoribus exhibeant ut corrigantur. **Qvi** Exercitia styli publica neglexerit, graviter puniatur.

IV. Ex Schola reversi, non abjiciant libros, sed sint diligentes in repetendis lectionibus.

V. Ipsi etiam privatim bonos Autores legant: Ad vivam enim Præceptoris vocem muti accedant Magistri, iiqve optimi, quos diurna nocturnaque manu versent.

VI. Discipuli etiam privatim inter se, sine contentione de studiis conferant. Si nodus aliquis Gordius incidit, Rectorem, aut alium Collegam conveniant, eumque modeste consulant.

VII. Diebus Mercurii & Saturni, quando conceditur vacatio aliqua ab operis Scholasticis, domi se continentes, vel audita repetant, vel scripta componant, vel ipsi aliquid effingant.

VIII. Non turbent tranquillitatem Oeconomiae rixis & petulantia: non expetant singulares delicias; sed contenti sint cibo & potu, quo fruitur reliqua familia.

IX. Si ad honorem adspirare velint, multa sibi ferenda in hospitiiis, non pauca fugienda esse cogitent. Ferant sitim, famem, frigus, æstum, injurias. Fugiant, ceu pestem, Bacchum, Venerem, otium, & omnes alias occasiones peccandi, quæ in domiciliis sese offerre solent.

X. Cum primis improborum Sodalitium & consortia, velut venenum præsentissimum, fugiant. Contra cum iis conver-

versentur qui pii sunt, & modestia ac eruditione præstant, ut ex eorum colloquiis salutaria discant.

XI. In his, quibus Pædagogia est commissa, requiritur pietas, diligentia, fidelitas, industria, honestas vitæ, & comitas.

XII. Pædagogi diligenter assuefaciant pueros ad discenda prima initia Catecheseos, precantiunculas communes, Psalmos insigniores, & dicta scripturæ, quæ ad mensam, & manè atque vesperi recitent.

XIII. Deinde pro ratione ingeniorum & profectus, exercent pueros Legendo, Scribendo, & repetendo ea, quæ in Schola audiverunt.

XIV. In Templum & Scholam comitentur eos, & inde reducant domum, nec solos eos relinquant, ne alicubi lædantur, aut malè agant.

XV. Domi in pueros eis animadvertere licebit, non in Schola: ita tamen, ut in sumendis pœnis servent modum, nec lædant tenera corpuscula.

XVI. Si quis negligentior fuerit in administranda pædagogia, graves pœnas dabit, & nisi sequetur emendatio, alteri pædagogia à Rectore commendabitur, ne claudatur beneficentia civium, & Schola malè audiat.

XVII. Scholastici non vagentur extra ædes, sine voluntate hospitem, & præfinito ab eis tempore, ad suas operas redeant, si quid alicubi eis est expediendum.

XVIII. Nemini permissum sit pernoctare in ædibus alienis, nec vesperi, pro arbitrio, nisi urgente causa honestissima, evagari extra hospitia.

XIX. Post cœnam unâ atque altera horâ elapsâ, cubitum eant, nec vigilias in multam noctem extendant. Nam intempestiva studia, tam ingenii, quàm corporis vires debilitant.

XX. Hic quilibet suum vicinum observare debet, & peccantem indicare Præceptoribus. Hoc ipsò, Deo & Præceptoribus rem gratam, & sibi ipsis salutarem, singuli præstabit.

(VI.) In



(VI.) In Lusibus.

I. Lusus honesti, deambulationes, & exercitia corporis ad valetudinem & liberalem animi recreationem pertinentes, Scholasticis conceduntur.

II. Observentur ergo in lusibus, genus, tempus, locus, modus, persona.

III. Lusus pilarum, cursuum, trochorum & similium probantur; turpes vero, periculosi, & quæstuosi, ut alea, chartæ lusoriæ, & alii hujus generis, omnino prohibentur.

IV. Non illo tempore suscipiantur quod tribuendum est studiis: nec extendantur ultra tempus vacationis.

V. Non habeantur in locis publicis, sed separatis, quæ sibi Scholastici dispiciant, ut sine offensione aliorum fieri possint.

VI. Inter ludendum Latinè etiam loquantur, & vitent rixas, pugnas & lasciviam.

VII. Cum sui ordinis hominibus ludant Scholastici, non cum ardelionibus ignavis.

VIII. Junioribus sit data copia ludendi, ubi cognoverint suas lectiones, etiam extra vacationem à studiis; Reliquis nullo modo.

IX. Nemo eo tempore, quo publici congressus in Schola & templo fiunt, valetudinis, vel recreationis causâ, extra nostrum ludum ac cœtum vagetur, aut obambulet.

X. Singuli faciant officium, & præsentem Præceptorem, & absente, nec oculis tantum serviant.

CAPUT VI.

De Pœnis eorum discipulorum, qui Leges violant Scholasticas.

I. Cum frustra laboretur incondendis Legibus, nisi sequatur Executio: ideo pœnæ sumantur à transgresso-ribus, pro modo delictorum.

II. Ut autem delicta Scholasticorum, tantò magis ilius innoscescant

F

tescant

rescant Præceptoribus, iidem Præfectos Classium, Coryceos & Custodes, ut vocantur, constituent.

III. Præfecti Classium, omnium primi adsint in Schola, vel si ipsi adesse non possunt, aliquem substituant.

IV. Absentes, tardè venientes, tumultum in Schola excitantes, aut aliud quicquam contra leges designantes, diligenter in tabulas referant, & Præceptoribus exhibeant.

V. Si vero ipsi, vel negligentiores, vel petulantiores fuerint, gravissimas pœnas dabunt.

VI. Hos adjuvabunt in morum inspectione Custodes, quorum officium quoque sit, conficere ferulas, easque in singulas Classes distribuere.

VII. Si qui incuriâ, aut aliis rebus præoccupati, peccabunt, qui alioquin Præceptoribus probarunt suam modestiam & diligentiam, poterunt vel veniam imprudentiæ, vel saltem mitigationem pœnarum mereri.

VIII. Symphoniaci, quoties in matutinis precibus non præsentis ab observatoribus deprehendantur, multentur sex nummis. Collecta multa partim quolibet quadrante anni, tempore distributionis à Rectore morigeris & diligentibus erogetur; partim impendatur in Designationem Orationum, Disputationum, aliorumque Exercitiorum, quovis semestri publicis typis exscribendam.

IX. Reliqui extra chorum Symphonicum, si non eodem ære, ferulis aut baculo, quin carcere debitam impietatis suæ pœnam luant.

X. Qui manifestum disciplinæ contemptum præ se ferunt, aut data opera, spe impunitatis, delinquant, severius castigandi, aut carcere coercendi erunt.

XI. Quorum petulantia nullis pœnis emendari potest, de consilio Dnn. Inspectorum, ex societate Scholastica ejiciantur, tanquam membra incurabili morbo affecta, ne pars sincera trahatur.

XII. Si vero tales diutius in oppido vagabuntur, magistratus

tus

us auxilium implorabunt Præceptores, ut ejusmodi pestes ju-  
ventutis penitus removeantur.

## CAPUT VII.

### De Novitiorum Receptione, & discipulorum Discesu.

I. Recens advenientes non occupent hospitia, sine consensu  
Præceptorum, multo minus in occupatis diu delitescant, ne-  
gligentes operas Scholasticas; sed statim se recipi petant, ac  
obedientiam juxta leges promittant.

II. Igitur, recipiendi in numerum Scholasticorum, Rectori  
se sistant, examini subjiciant, & legibus Gymnasii obtempera-  
turos bona fide promittant.

III. Nemo, Rectore inscio, se Scholastico cœtui ingerat, aut  
à Collegis ejus in Classes, inferiores licet, recipiatur.

IV. Discesuri, vitæ sibi testimonia à Rectore petant.

V. Primari publicè, reliqui privatim Præceptoribus suis gra-  
tias agant. Quod si aliqui detrectaverint, bona pace non di-  
mittantur; sed nomina eorum, velut ingratorum, publicè ta-  
bulæ affigantur, nec illis, qui sunt Symphoniaci, quicquam sol-  
vatur de collectis Eleemosynarum nummulis.

### FORMULA, JUXTA QVAM AB ILLIS, QVI IN GYMNASIUM MANSFELDEN- SE RECIPI CUPIUNT, OBEDIENTIAM DEINCEPS STIPULABITUR RECTOR.

**E**GO N. N. promitto, *primò* me Dn. Rectori &  
Dnn. Collegis ejus, Præceptoribus cæteris, obe-  
dientiam & observantiam debitam præstiturum.

*Secundò*, me leges & statuta Gymnasii observa-  
turum, & juxta illorum præscriptum vitam, mores  
& studia compositurum.

*Tertiò*, quotiescunq; leges violaverò, & mandata Rectoris ac Collegarum executus non fuero, me poenas mihi irrogatas, patienter & sine ulla tergiversatione subiturum.

*Quartò*, me absq; consensu & approbatione Rectoris non discesurum.

Atq; hic est novus Lessionum & Legum Scholasticarum Catalogus, jussu Illustrissimorum Comitum, & optimò consiliò ac autoritate Dnn. Consistorialium, eo fine præscriptus, & à Rectore Gymnasii in hanc formam reductus, ut à Præceptoribus pariter, ac Discipulis, adeoq; ab omnibus, qui ad loca destinata in Gymnasium Islebienne vocati & recepti sunt, diligenter ac fideliter observetur; id quod in ingressu officii sui, Collegæ omnes, se facturos esse, priusquam introducentur & confirmabuntur, juramenti loco, promittent. Cæterum, cum, sicut in aliis negotiis & Constitutionibus, quædam interdum, juxta temporum variationem, mutari necessum, pariter hic idem evenire, & necessitas postulare possit, ut quædam ad Scholæ, atq; juventutis utilitatem addenda, aut immutanda sint: illud non privato cujusq; arbitrio, sed consilio Dn. Superintendentis, Rectoris Scholæ, aut etiam Dnn. Consistorialium & Inspectorum, fieri debet.

Ut autem dictæ Renovationis & Extensionis eò testatior esset memoria, placuit, ut in fine harum pagellarum, nomina, cum Dnn. Consistorialium & Inspectorum, à quibus ea & confirmata ac promulgata est; tum ipsorum Collegarum, qui hoc tempore juventutem in Gymnasio erudiunt, exprimerentur, iisque subjungerentur nonnulla, quæ ab hoc instituto non sunt aliena.

**Qui sacrum Comitatus Synedrium hac tempestate moderantur, & præfens institutum sub consiliò & autoritate promoverunt, sunt sequentes:**

JOHANNES GOTTFRIEDUS NICANDER, SS. Theol. Li-  
centiatus, Ecclesiarum Mansfeld. Superattendens Ge-  
neralis, & Consistorii Præses.

EBERHARDUS FABRICIUS, Jure Consultus, Illustris. Dnm.  
Comitum à Mansfeld. Cancellarius, & Consistorii  
Adsesor.

JACOBUS FRIDERICUS ERFFURT, Consiliarius Mansf.  
Consist. Adsesor, & h. t. Gymnasii Inspector.

CHRISTIANUS SCHLOTTHAUERUS, Consiliarius  
Mansf. & Consist. Adsesor.

JOHANNES RÖSNERUS, Pastor & Decanus Generalis  
Mansf. Consist. Adsesor.

M. GEORGIUS STÖCKERUS, Pastor ad S. Pet. Pauli, Se-  
nior, & Consist. Adsesor.

M. GODOFREDUS REISSIUS, Pastor ad S. Nicolai, &  
Consist. Adsesor.

JOHANNES GOTTFRIEDUS BRUNNERUS, Pastor ad  
S. Annæ, & Consist. Adsesor.

M. CHRISTOPHORUS PELSUS, Archidiaconus ad S.  
Andræ, Consist. Adsesor, & h. t. Gymnasii Inspector.

MICHAEL KEUTELIUS, Diaconus ad S. Annæ, & h. t.  
Gymnasii Inspector.

*Gymnasii Collegæ sunt :*

M. CHRISTOPH. LATZKIUS, Brandenb. Marchicus, Rector.

M. JOHANNES HARDE, Isleb. Saxo, Conrector, qui &  
Diaconus ad S. Nicol.

GERHARDUS Stercker / Isleb. Saxo, SubConrector.

JOHANNES PETSCHNERUS, Gerà Osterlandus, Cantor ad  
S. Andræ.

CHRISTIANUS Schieferdecker / Cizensis Misnicus, Cantor  
ad S. Pet. Pauli.

MICHAEL CRACOVIVS, Budstadiensis Thuringus, Sextus.

JOHANNES CUNTZIUS, Isleb. Saxo, Septimus, qui & Can-  
tor h. t. est ad S. Nicolai.

## De utilitate & scopo

Hujus Renovationis & Extensionis lectionū ac legum,  
Literæ Dn. Rectoris ad Consistorium Vene-  
randum.

Illustrissimorum Comitum Mansfeldensium in  
Consistorio Ecclesiastico, quod Islebii est,  
Præses gravissime & maximè Reveren-  
de: Cancellarie Magnifice: Consilarii Excellentissi-  
mi: Vos cæteri Assesores Spectatissimi, Clarissimi; Domini,  
& Patroni Gratosi ac plurimum honorandi.

**Q**uod maximum momentum ad scholas feliciter reparandas sapientes  
conferre statuunt: leges renovare, & doctrinæ capita, in quibus Præ-  
ceptores cum Discipulis versentur, in tabula sistere accurata, quò præsentis  
campum operarum suarum videant, absentes vero ad illum ingrediendum  
invitentur: id in Renovatione & Extensione lectionum & legum Gymnasii  
nostri, observandum cum primis erit. Neq; enim quicquam ejus incrementum  
ac florem magis promovebit, quàm leges veteres, quas habet, renovare, &  
post generalem Lectionum ac Disciplinæ descriptionem, etiam specialem  
& accuratum operarum adjicere Catalogum, eumq; edere denuo ac len-  
titer promulgare. Ita fiet quod necessitas requirit, & turpi otio, ac contur-  
bato ordini (quæ duo vitia, dicente Buchnero, magnam hodie pestem atq;  
perniciem important Scholis) aditus omnis præcludetur, & novi velut  
clathri quovis modo objicientur. Quin præsentibus & absentibus palam  
significabitur, quid sibi, quidq; aliis de hoc *Palladio Mansfeldensi* spe-  
randum ac promittendum habeant. Specialem hunc, quod concernit, In-  
dicem, nihil in eo positum, quod ad amplitudinem hujus politicæ Schola-  
ricæ non conducat. Et quamvis in antiqua Gymnasii Mansfeldensis *Enia-  
yeg. Qia*, aut verius loquendo, in ipsa Scholastica fundamentum habeat  
immutum, tamen actum non agit, aut cramben bis coctam apponit; sed  
*ὁ πρῆνον* servans, & materias lectionum, & ipsam earum formam sic de-  
scribit, ut ad statum præsentium temporum cum primis accommodentur.  
Præterea *Analysin* accuratam urget, & *Theoriam* cum *Praxi* perpetuò  
conjungit. Utramq; etiam delineat, & verbis usitatis ita exprimit, ut neque  
superflua immisceat, neque obscuram, & parum gratam adhibeat brevita-  
tem. Dum autem eundem Vobis exhibeo, & Vestris submitto judiciis,  
Patroni,

Patroni Gratosi, enixè rogo, ut me à temeritatis, aut ostentationis suspi-  
cione haud gravatè liberetis. Non enim in his præscribo quicquam, nec  
aliorum sperno monita, aut consilia rejicio meliora; Alia mihi meas, &  
alius instituti hujus scopus est. Sed quis ille? Dicam breviter, & mentem  
meam nudè, ut ingenuum hominem decet, explicabo: *Salus vestri Gymna-*  
*sii, me audentem facit.* Hanc, post gloriam Nominis divini, quæro: hanc  
tandem, cum Deo & Vestro favore, obtinebo. Non contemnetis hunc  
animum, Patroni Optimi; sed indies magis magisque, gratia & autori-  
tate vestra inflammabitis. Facietis quod spero, & me affectu tam propert-  
so ad laborem & vigilantiam porrò incitabitis. Deum immortalem sanctè  
veneror, ut hos conatus fortunet ac prosperet, & diuturnis istis calami-  
tatibus, quas hoc tempore patimur, optatissimum finem, compositis un-  
diq; bellis, imponat! Dab. Islebii. Calend. Decemb. M. DC. LXXVI.

VV. Max. Rev. Dignit:

Nobiliss. Magnif. Ex-  
cell. & Clarit.

addictissimus

M. C. Latzkus, G. R.

~~HOSS HOSS HOSS HOSS: HOSS HOSS HOSS HOSS~~  
Schut-Gebet des Mansfeldischen Gymnasii  
zu Eisleben.

**G**lümächtiger/ barmherziger/ ewiger **GOTT** und Vater unser  
HERRN **IESU CHRISTI**/ ein HERR Himmels und der Erden/ wir  
deine Kinder sagen dir von grund unsers Herzen Lob und Danck/  
daß du uns unter dem rechtgläubigen Häufflein deiner Christlichen  
Kirchen lassen geböhren werden: Und wir anfänglich unserm Selig-  
macher/ **CHRISTO IESU** / vermittelst der heiligen Tauffe / einverleibet;  
Auch/ von Jugend auff biß zu gegenwärtiger Stunde/ in deiner Furcht/  
und zu unserm Besten/ zu guten Künsten/ und allerhand nüslichen Spra-  
chen/ auffgezogen worden; Hierinnen auch kein Fleiß/ Mühe / noch Un-  
kosten uns gemangelt hat. Dich/ O allerliebster Vater/ bitten wir herg-  
lich / du wollest deine Christliche Kirche / mit allen treuen Lehrern / und  
Predigern/ beydes hier/ und anderswo / durch deinen Heiligen Geist re-  
gieren / bey deinem seligmachendem Worte/ als der einigen Richtschnur  
des Glaubens und der Seligkeit/ standhafftig erhalten; und also in uns  
den

den Glauben gegen dir mächtig stärken/und die Liebe gegen männiglich  
wachsen und zunehmen lassen. Wollest auch alle weltliche Obrigkeit/  
bevorab die Wolgebohrne und Edle Graffen und Herren zu Mans-  
feld/Edle Herren zu Heldringen/2c. als Fundatorn, und Conserva-  
torn, dieser Schulen: So wol die Herren Beampte/ und einen Wol-  
weisen Rath allhier/bey guter Gesundheit/Ruhe/Friede / und aller Be-  
deyligkeit/ beständig erhalten; damit unter ihrem glückseligem Regi-  
ment unsere Schule jederzeit florire/und männiglich ein stilles/Christ-  
liches/geruhiges Leben führen möge/in aller Gottseligkeit und Erbarkeit.

Ingleichen wollest du einer ganzen Commun allhier / und sou-  
derlich denen/die uns gutes thun/hausen/beförderlich erscheinen/und wol-  
geneiget sind / solches alles mit reichem Segen und erspriesslicher Wol-  
fahrt/zeitlich und ewiglich vergelten/ und erwiedern. Segne ferner un-  
sere liebe Eltern/Præceptores, Patronen und Liebhabern/sampt den  
Ihrigen/an Leib und Seel/gib ihnen langes Leben/beständige Gesund-  
heit/und erwünschtes Auffnehmen. Und nahmentlich uns selbst ver-  
leyhe deine Gnad und Heiligen Geist / daß wir dich / und deinen lieben  
Sohn / IESUM CHRISTUM unsern HERN und Heyland / recht lernen  
erkeñen: gute Künste/Sprachen/Zucht/ und Tugend gebührend fassen:  
in unsern Studiis glücklich und wol fort kommen: Unsern Oberherren/  
Præceptoribus, Eltern/und denen/so uns zum besten annahuen/wiliga-  
lich und gerne folgen/uns zu allen guten/wahren Pietet, ruhmwürdigen  
Tugenden/ziehen lassen/für allerhand Ergernüssen/Leichtfertigkeit/und  
unverantwortlichen Wercken/hüten/auch was fruchtbarliches / dir zu  
Lob/uns selbst/und unsern Nächsten zur Wolfahrt/und den lieben Præ-  
ceptoren/ Eltern/und Beförderern zur Freude/zunehmen/behalten/und  
seliglich gebrauchen/ja hiernechst/und zu jeden Zeiten / heilsame Gefässe  
deiner Gnaden Güte/und Barmherzigkeit / in geistlichem / weltlichem/  
oder häußlichem Stande/nach deme du einem jeden/aus sondernbahrem  
Rath und Schickung/beruffen wirst / seyn und bleiben; Hierauff aber  
sämtlich und sonderlich/nach diesem elenden/betrübtem Jammerthal / zu  
dem himlischen/ewigem Freuden Saal gelangen mögen/ durch IESUM  
CHRISTUM das fromme/gehorsame Schülerlein/unsern einigen Erlöser/  
Heyland und Seligmacher/hochgelobt mit dir / O ewiger Vater/  
und dem Heiligen Geiste/von nun an biß in Ewigkeit!

A M E N.

1077



A. N. 129, 32<sup>a</sup>

R  
ET H  
CTIO  
SCHO  
STRIS  
ANN  
Illustr  
nerosisin  
rum in Ma  
Sacro

Ya  
4721

IO  
LE-  
GUM  
ILLU-  
MNA-  
XVI  
e Ge-  
Domino-  
minorum  
edita

